

quantur, Cod. sive bis que subsequuntur, Ed. *consideratio tractatio quae*, Cod. *consideratio tractatioque*. Cap. 3. Ed. *ut esset totius*, Cod. *ut etiam totius* &c. Illud omittere non debeo, praetexta esse Codici Folia duo, quibus de Vorum et Rerum Significationibus tractatur totidem Articulis, quorum prior insit: *Diligens scrutator sacri eloquii* &c. alter: *Discerne et considera diligenter* &c. uterque plane e mente Hugonis, quin et eadem phrasi, qua is *Excerptor. Prior. L. II. c. 5.* edit. cit. T. II. p. 342. utitur. Videbit igitur Operum Hugonis studiosior, quo illi Articuli pertineant, et an inter *Avendora* sint censendi. Ceterum alia integri hujus Operis Exemplaria jam dabo.

CCCCLXIV.

- U. 622 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas scriptus, rubro distinctus, et testamento Thomae nostri Haselbachii olim addictus Collegio B. V. M. domus rubee rose apud fratres predicatores in Wyenna continet Hugonis de S. Victore Can. Reg. Opus in II. Libros distinctum de Sacramentis, quo vocabulo non hic Sacramenta veniunt Ecclesiae, sed arcana Dei in creando et reparando Homine Consilia. Prooemium incipit: *Librum de sacramentis cristianae fidei studio quorundam scribere compulsus* &c. Sequitur *Librorum, Partium et Capitum* Conspectus, ut in Edit. Rothomag. Opp. omn. T. III. 1648.

p. 482. f. demum Opus ipsum, cujus Textus ob lectionis varietatem non negligendus foret, si quis Hugonis *negitmotegos* et ordinatius edendi consilium olim susciperet. De hoc Populari nostro e *Blankenburgiorum* Stirpe a. 1097. progenito haec ad calcem adduntur. *Hugo de sancto Victore Parisius claruit, qui de contemplacione et moribus multa scripsit. Huic in extremis laboranti hostiam non consecratam Monachi propter vomitus periculum attulerunt sacram eukaristiam simulantes, quod Hugo per spiritum intelligens exclamavit: Cur me fallere fratres voluistis? Iste non est Dominus meus ihesus christus. Qui territi corpus christi attulerunt. Sed Hugo propter vomitum communicare non audens sic orabat: Ascendat filius ad patrem, et cum eo spiritus meus ad eum, qui dedit illum. Quo dicto Eukaristia disparuit, et Hugo feliciter expiravit. Idem Hugo vixit sub Imperatore Henrico quarto, qui obiit Millesimo centesimo vigesimo quinto. Alii volunt 1140. Ad Codicis calcem praeter alia quaedam Notata fusior adscripta est Quaestio: *Vtrum per lapsum in novum peccatum mortale omnia peccata prius commissa (remissa) in contritione reddantur.**

CCCCLXV.

- Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 2297 Folior. 191. f. per duas columnas commode perscriptus et minio distinctus aliud est ejusdem Operis Exemplum integrum, cui prae